

## Martini Papa V. Littera ad Sigismundum M. D. Lituaniae 549.

122

Martinus Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilecto Filio, Nobili Viri Sigismundo Theystody, Duci Lituaniae, salutem et Apostolicam Benedictionem. Provenit ex tuae devotionis affectu, quo Nos, et Romanam Ecclesiam revereris, ut petitiones tuas, illas praesertim, quae animae tuae salutem respiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est quod Nos, tuis supplicationibus inclinati, ut Confessor tuus, quod duxeris eligendum, omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contritus, et ore confessus fueris, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem tibi in benivolentia fidei, unitate Sanctae Romanae Ecclesiae, ac obedientia et devotione nostra, et Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum, canonice intrantium, peristenti auctoritate Apostolica concedere valeat, devotioni tuae tenore presentium indulgemus; sic tamen quod idem Confessor de his, quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam tibi per te, si supervideris, vel per Haeredes tuos, si tunc forte transieris, faciendam injungat, quam tu, vel illi facere teneamini, ut praefertur. Et ne quod accidit, propter hujusmodi gratiam, reddaris proclivior ad illicita impotenter committenda volumus, quod si ea confidentia remissionis hujusmodi, aliqua forte commiteres, quod ad illa praedicta Remissio tibi nullatenus suffragetur. Et in super, quod per unum Annum a tempore, quo provenit Nostra Concessio ad tuam notitiam pervenit, computandum singulis Sextis Mensis impedimento cessante legitimo, jejunes, quod si praedictis Mensibus ex praecipito Ecclesiae regulari observantia, injuncta penitentia, voto, vel alias jejunare tenearis, una alia die singularum Septimanarum, ejusdem anni, qua ad jejunandum ut praemittitur non sis astrictus, jejunes et si in dicto Anno, vel aliqua ejus parte esse legitime impeditus anno sequenti, vel alias quam primum poteris modo simili supplere, hujusmodi jejunium tenearis, prout si forsan alias praedictum jejunium in toto, vel in parte quaecumque adimplere commode non poteris, eo casu Confessor idoneus, quem ad hoc elegeris jejunium ipsum in alia pietatis opera, prout animae tuae salutari expedire viderit, commutare valeat, quae tu pari modo adimplere debeas, alioquin praesens Nostra Concessio, nullius sit rationis vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc Paginam nostrae Concessionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Datum Romae apud Sanctos Apostolos x. Idus Januarii, Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

